






384
M
26









GEORG. BRUCKSULBERGII

MEMORIALE JURIDICUM;


ID EST,

Series nexusque Librorum & Titulorum Juris Romani.

ITEM

Titulorum Legumque selectiarum, *Ern. Cothmanno* & *Præside Nicolao Everhardo* collectoribus.

Quibus postremò accedit INDEX RUBRICARUM *seu* TITULORUM *Iuris universi*.



INTELLIGENTIBUS.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud DANIELEM & ABRAHAMUM GAASBEECK. Anno 1657.



TY

AD L

S



Georg
ſum
veni
viâ l
mari
colloca
perpe
ceſſe
sis
gali
recu
tilita
ricin



TYPOGRAPHI AD LEGALIS SCIENTIÆ STVDIOSUM.

CVM *ante dies non ita multos oblatum nobis esset* Memoriale *hoc* Juridicum, *auctore* Georg. Bruckſulbergio, *cui propoſitum inprimis fuit cupidam legum juventutem juvare facili & compendioſâ viâ libros Tituloſque univerſi Juris Romani inveniendi, & quo ſinguli ordine collocati, ſine labore cognoſcendi, nè perpetuò ad Indicem recurrere ſit neceſſe: nihil prius in votis fuit, quam ut in gratiam Tironum, apud nos huic legali ſtudio operam dantium, typis noſtris recuſus omnium manibus tereretur. Vtilitatem non deprædicamus; eam experietur, quiſquis in hac arte inveſtigandi*

cognoſcendique libros ac titulos ſe exercuerit, ubi didicerit, quam aptè ſingulæ partes, liber libro, titulus titulo cohæreant.

Adjunximus, qui dicto Memoriali *nectebantur, verſus aliquot, quibus Codicis Iuſtinianeì Rubricæ ferè omnes indigetantur & comprehenduntur: item* Leges memoriales, *collectore* Ern. Cothmanno *auctore: hiſque inſuper adjecimus* Leges ſelectiores Everardi Præſidis. *Et ne quid deeſſet, damus hîc quoque* Indicem *abſolutum* Titulorum *ſive* Rubricarum Iuris univerſi, *Pontificij ac Cæſarei, quem quiſque ſemper ad manum habere poſſit, ſi fortè Memoriale nondum ita familiare illi ſit, ut aliter Legem oblatam indagare & invenire queat. Vale, cupide Legum ſtudioſe, & laborem atque induſtriam hanc noſtram boni conſule.*

MEMO-



MEMORIALE JURIDICUM

Pandectarum, seu Digestorum.

PANDECTARVM nomen Græcum à πᾶν totum, & δέχομαι; DIGESTORVM Latinum est. Illud à materia, quod disputationes veterum J. C. quæ quidem usum in præsentiarum habeant, hic liber contineat omnes, *l. 2. §. quod cœlesti. C. De vet. jure enuclean.* Hoc à forma, & digestione, quod in ijs omne jus antiquum digestum sit.

Vulgò dividitur opus hoc Digestorum seu Pandectarum in partes tres, Digestum *Vetus*, *Infortiatum* & *Novum*. Quæ quidem distinctio, quamvis neque à Justiniano Imp. profecta, neque admodum apta aut concinna sit, commodioris tamen usus gratiâ recipi potest. Nominum ratio, maximè *Infortiati* incerta est, nè dicam barbara & solœca.

Alias duplex divisio est: alia Inartificialis, in quinquaginta libros æqualiter distributa: alia Artificialis, in partes septem, ad

numerorum naturam & harmoniam, non perperam, respectu habito. Numerus namque Septenarius, secundum Macrobium, perfectioni dicatus. Ad memoriæ subsidium, quid singulæ Partes contineant, & quot libris constent, hi versus docebunt.

Quinquaginta libros Pandectis Iustinianus,
Septenasque dedit Partes. Pars prima quaternis
Πρῶτα libris claudit: septem altera contitinet in rem
Iudicia: octonis dat credita tertia: quarta
Pignoribus dotes, connubia, tutelasque
Iungit, & bis libros totidem implet: quinta novenis
Testamenta aperit: sextam possessio ducit,
Octonisque libris: senos pars ultima volvit,
Instituens stipulatores, & crimina tractans.

PARS I.

In libros divisa est quatuor, qui Græcè τὰ πρῶτα appellantur, id est, primaria quædam, & velut, principia. Quia prout hi libri nihil ante se habent, ita sequentibus intelligendis, tamquam sua principia conclusionibus, sunt necessarij.

METHODVS
in librum primum.

PRimis quatuor Titulis copiosissimè divina juris principia; tribus proximis, hominum

minum ſtatus, tam abſolutus quam reſpectivus; unico autem, qui eſt Titulus VIII. rerum exordia, tamquam dicendorum baſes, continuò ſunt tradita. Finalibus, poſt privatarum perſonarum ſtatum & œconomicam poteſtatem, mutabiles Magiſtratus & politica poteſtas (primus perſonarum progreſſus) ordinatur. Omnes, ad juvandam memoriam, ſubjectis continentur verſibus.

1 2 3
Ius & origo *patent*, Leges *quoque parte priori*.
4 5 6 7
Conſtituit, ſtatus, *ac* alienus adoptat &
8
eſt res.
9 10 11
Datque Senatores, Conſul, Prætorius
12
urbis.
13 14 15
Sunt Quæſtor, Prætor, Vigilum præfectus *habendi*.
16
Officium *pariter* Proconſulis *utile noſcas*.
17 18 19
Vult his Auguſti Præſes, vel Cæſaris *addi*.
20 21 22
Cenſor Alexandri: jus mandat, & adſidet *indè*.

Titulus 1. est De justitia & Jure. 2. De origine Juris, &c. 3. De legibus, &c. 4. De constitutionibus Principum. 5. De statu hominum. 6. De his, qui sui, vel alieni juris sunt. 7. De adoptionibus, &c. 8. De divisione rerum, & qualitate. 9. De Senatoribus, 10. De officio Consulis. 11. De officio Præfecti prætorio. 12. De officio Præfecti urbi. 13. De officio Quæstoris. 14. De officio Prætorum. 15. De officio Prœfecti vigilum. 16. De officio Proconsulis, &c. 17. De officio Præfecti Augustalis. 18 De officio Præsidis. 19. De officio Procuratoris Cæsaris, &c. 20. De officio Iuridici. 21. De officio ejus, cui mandata est jurisdictio. 22. De officio adsessorum.

IN LIBR. II.

Expositis libro superiore generibus omnibus & officiis magistratuum, instituitur tractatus de eorum jurisdictione, & ad eam pertinentibus libri hujus tribus prioribus Titulis. Nimirum De Iurisdictione, & ejus præparatione, tum circa judicem, tum circa litigantes, quo pacto scilicet judicia apud magistratum instituantur per in jus vocationem, editionemque actionis. Quandoque verò reus cum adversario suo, etiam viso libello, paciscitur, vel transigit, hinc duo postremi subjecti Tituli. Rubricæ ejusmodi.

1 2
Eſt juriſdictio *jus* ſtatuens, *Parte ſecunda.*
3 4 5
Si quis, dicens *jus*, vocat in jus, non jerit, *tunc*
6
Iuſsit lex, ut eant, qui ſunt in jure vocati.
7 8
Eximat hos nemo, quos *leges* ſat dare cogunt.
9 10 11
Si noxalis agat, per quem fit cautio ſiſti.
12 13 14 15
Feriat, edendo, pactum, *ſi* tranſigat *ullus.*

Titulus. 1. De juriſdictione. 2. Quod quiſque juris in alium ſtatuerit, &c. 3. Si quis jus dicenti non obtemperaverit, 4. De in jus vocando. 5. Si quis in jus vocatus non jerit, &c. 6. In jus vocati ut eant, &c. 7. Ne quis eum, qui in jus vacabitur, vi eximat. 8. Qui ſatiſdare cogantur, &c 9. Si ex noxali cauſa agatur, &c. 10. De eo, per quem actum erit, &c. 11. Si qui cautionibus in judicio ſiſtendi cauſa, &c. 12. De feriis, &c. 13. De edendo. 14. De pactis. 15. De tranſactionibus.

IN LIBR. III.

In præcedenti, de Iudice, Actore & Reo, in quibus judicium fundatur, dictum eſt: hoc de perſonis acceſſorijs, quò earum ope & conſilio judicia, & dignius, & commo-

dius exerceantur, *l. 1. ff. De postul. l. 1.* §. 2. *ff.* De *procurat* agitur. Elenchus Rubricarum hic est.

1 2 3 4
Postulat, infamat, procurat, nomine
terna.

5 6
Gesta negotia *sunt his*, *atque* calumnia
juncta.

Tit. 1. De postulando. 2. De his, qui notantur infamia. 3 De procuratoribus, & defensoribus. 4. Quod cujusque universitatis nomine, &c. 5. De negotijs gestis. 6. De calumniatoribus.

IN LIBR. IV.

Restitutiones variæ, adversus multiplices captiones, conceduntur. Arbitria, quibus judices exonerantur, declarantur. Postremò, nautæ, caupones, stabularij, quò securiùs viatores, maximè litigaturi, recipiantur, à Prætore coercentur. Vnde.

1 2 3
Restituit *quarta.* metus, & dolus, &
4
minor *hic sunt.*

5 6 7 8
Deminuit, major, alienat, & arbiter *hinc*
est.

9
Nautæ, caupones, stabularius abdita
reddant.

Tit.

Tit. 1. De integrum restitutionibus. 2. Quod metus caussa. 3. De dolo malo. 4. De minoribus 25. annis. 5. De capite minutis. 6. Ex quibus caussis majores 25. annis, &c. 7. De alienatione, judicii mutandi caussa, facta. 8. De receptis, qui arbitrium receperunt, &c. 9. Nautæ, caupones, stabularij, ut recepta restituant.

PARS II.

De Iudiciis, *in quibus plena causæ requiritur cognitio, tractat; septemque libros à quinto ad finem undecimi, continet.*

IN LIBR. V.

Postquam Parte præcedenti, in ipsis judiciorum præludijs, de actionis editione, dictum: hoc libro, præcipuè Titulo primo, de utriusque cognitione, ut gradus deinceps in ipsa fiat judicia, dicere occipit. Hunc variæ, secundùm modos varios, in rem actiones universales sequuntur; hoc ordine:

1 Iudicijs *quarta* : 2 exhæres quæritur,
3 petit hæres.
4 Si pars hæredis, 5 *si* possessoria poscat,

6

Jungas hæredem fideicommiſſa petentem.

Tit. 1. De judicijs, &c. 2. De inofficioſo teſtamento. 3. De hæreditatis petitione. 4. Si pars hæreditatis petatur. 5. De poſſeſſoria hæreditatis petitione. 6. De fideicommiſſaria hæreditatis petitione.

IN LIBR. VI.

Singularum rerum petitiones exponit. Pro rerum autem ordine facilius accipiendo, ſciendum eſt, *Res* in corporales & incorporales diuidi. In corporalibus, quoniam triplex conſideratur dominium, directum, quaſi dominium, & utile, ideò ſecundum hæc membra tria, tres hoc in libro enodantur actiones.

1 2

Vindicat & *ſexta tractans* de Publiciana.

3

Vectigalis ager,ſeu emphyteuticus *hic eſt.*

Tit. 1. De rei vindicatione. 2. De Publiciana in rem actione. 3. Si ager vectigalis, id eſt, emphyteuticarius petatur.

IN LIBR. VII.

Incorporalium aliæ ſunt ſervitutes perſonales, aliæ reales ſeu prædiales. Illæ, puta uſusfructus, uſus & habitatio, his con-

continentur mnemonicis.

1 2
Dans uſumfructum *pars ſeptima*, creſcere,
3
cedit.

4 5 6
Amittatur: res, quæ conſumenda. petatur.
7 8 9
Dat ſervis operas habitatio, ſi cavet utens.

Tit. 2. De uſufructu, &c. 2. De uſufructu adcreſcendo. 3. Quando dies uſusfructus legati cedat. 4. Quibus modis uſusfructus, vel uſus amittatur. 5. De uſufructu earum rerum, quæ uſu conſumuntur, vel minuuntur. 6. Si uſusfructus petatur, &c. 7. De operis ſervorum. 8. De uſu, & habitatione. 9. Vſufructuarius quemadmodum caveat.

IN LIBR. VIII.

Iſtæ, videlicet reales, ſunt urbanæ, aut ruſticæ, hocce libro & ordine collocatæ.

1
Vtere ſervitiis, *octava parte locatis.*
2 3 4
Prædia *dant* urbes & rus, communia
multis.

5 6
Ni mihi ſervitium *bene* vindico, perdere
poſſum.

Tit. 1. De ſervitutibus. 2. De ſervitutibus prædiorum urbanorum.

3. De ſervitutibus prædiorum ruſtico-
rum, 4. Communia prædiorum, &c. 5. Si
ſervitus vindicetur, &c. 6. Quemadmo-
dum ſervitutes amittantur.

IN LIBR. IX.

Damnorum actiones, veluti Pauperies, Aquilia, dejectum vel effuſum, ſervorum noxæ, quæ rebus inferuntur noſtris, proponuntur. Licet ex delicto naſcantur, & ſic perſonales ſint, quia tamen rerum damna perſequuntur, meritò antecedentibus ſunt connexæ.

[1] Quadrupedem *dat nona*, *ſed* [2] Aquiliam *quoque legem.*

[3] Effundunt *multi*, multis datur [4] actio *noxæ.*

Tit. 1. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. 2. Ad legem Aquiliam. 3. De his, qui effuderunt, vel dejecerunt. 4. De noxa- ibus actionibus.

IN LIBR. X.

Poſt merè reales, perſonales, & eis conjunctas actiones, mixtæ diviſoriæ hoc loco exiſtunt reſervatæ His actio ad exhibendum, perſonalis, in rem ſcripta, *l. 3. §. eſt autem perſonalis. 3. cum §, ſeq. ff. Ad exhib.* appenſa. Quamvis ea rei vindicationis ſit

præ-

præparatoria, quia tamen in aliis quoque, de quibus actum, locum habet, hucuſque dilata fuit.

1 2
In decima fines regis, *at* erciſcere *fas eſt.*
3
Diviſis *tandem* communibus, exhi-
4
beamus.

Tit. 1. Finium regundorum. 2. Familiæ erciſcundæ. 3. Communi dividundo. 4. Ad exhibendum.

IN LIBR. XI.

Præfatorum ſupplementum & acceſſio eſt. Titulus primus Titulum de Judiciis: ſecundus, itemque ſextus, ſupradictas actiones mixtas; tres proximi, damna ſpectant. Poſt res verò prophanas, duo ſubjiciuntur Tituli de religioſis.

1 2
Vndecimâ judex interrogat: itur ad ipſum.

3 4 5
Servos corrumpunt, fugitivos, alea,
6
menſor.

7 8
Funera *cum* ſumptu *debes* inferre ſepulchro.

Tit. 1. De interrogationibus in jure faciendis.

ciendis, &c. 2. De quibus rebus ad eundem judicem eatur. 3. De servo corrupto. 4. De fugitivis. 5. De aleatoribus. 6. Si mensor falsum modum dixerit. 7. De religiosis & sumptibus funerum, &c. 8. De mortuo inferendo, & sepulchro ædificando.

PARS III.

Octo habet libros; appellatur universali appellatione, De rebus creditis *sicut præcedens*, De judiciis.

IN LIBR. XII.

Obligationes hic simul cum actionibus ambulantes, in suas partes, quæ ex suis colliguntur titulis, partiendæ sunt. Actiones pariter, juxta orationis ligatæ præscriptum, enumerandæ.

1 2 3
Res credit, jurans, in litem, *pars duodena*.

4 5
Condico ob causam: *cui* turpis causa *supersit*.

6 7
Ac indebita, *si sint*, condices sine causâ.

Tit. 1, De rebus creditis, &c. 2. De jurejurando, &c. 3. De in litem jurando. 3. De condictione causa data, causa non secuta. 5. De condictione ob turpem, vel injustam

justam causam. 6. De condictione indebiti. 7. De condictione sine causa.

IN LIBR. XIII.

Absolutis condictionibus ordinariis, quædam irregulares traduntur. Obligationibus principalibus alia generalis accessoria, videlicet de constituta pecunia, subjicitur. Actiones, tam directæ quàm contrariæ, Commodati & Pignoratitia (quæ re contrahuntur etiam) hunc librum terminant.

1 2

Tredecimam furti *&* legis condictio *tangit.*

3 4 5

Tritica *dant* loca certa, statuta pecunia *si sit.*

6 7

Commoda *cum reliquis dabit* actio pignoris *ampla.*

Tit. 1. De condictione furtiva 2. De condictione ex lege. 3. De condictione triticaria. 4. De eo, quod certo loco dari oportet. 5. De pecunia constituta. 6. Commodati, vel contrà. 7. De pignoratitia actione, vel contrà.

Duobus libris sequentibus, actiones sunt digestæ, quibus eorum, qui in nostra sunt potestate, dominica vel patria, convenimur nomine.

IN LIBR. XIV.

HOc, pro negotiatione maritima, terrestri, item peculiari, proponuntur. Tituli Ultimi duo de proprio quodam filiorum familiarum edisserunt jure:

1 2 3
Exercet jactum: *bis septima*, & institor
hic est.

4 5
Actio, *quæ* tribuit, *patet*, *ac* aliena potestas.

6
Ne dentur natis, Macedonia lex *vetat*
ipsa.

Tit. 1. De exercitoria actione. 2. De lege Rhodia de jactu. 3. De institoria actione. 4. De tributoria actione. 5. Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur. 6. De Senatus-consulto Macedoniano.

IN LIBR. XV.

Hujus verò Tituli omnes, tam servis, quam filiisfamilias sunt communes:

1
In decima quinta describo peculium &
2
annum.

Post

3 4
Post de in rem verso quod jussu *jungere*
fas est.

Tit. 1. De peculio. 2. Quando de peculio actio annalis est. 3. De in rem verso. 4. Quod jussu.

IN LIBR. XVI.

Expedito jure singulari filiorumfamilias; jus singulare, de fœminarum intercessionibus adjicitur. Rubrica, de compensationibus, depositi titulum, propter depositi privilegium, cui compensatio objici nequit, *l. fin. C. de compensat.* antecedit.

1
In sexta decima mulier lex Vellejana.

2 3
Compensare *vetans leges si* depositum
sit.

Tit. 1. Ad Senatus consultum Vellejanum. 2. De compensationibus. 3. Depositi vel contra.

IN LIBR. XVII.

Hactenus obligationes, quæ re contrahuntur: Restant illæ, quæ consensu; inter quas, ob fidei excellentiam, Mandatum & Societas præmittuntur.

Septima

4 2
Septima post decimam, mandatum. pro so-
cio *dat.*

Tit. 1. Mandati. 2. Pro socio.

IN LIBR. XVIII.

Pluribus, tertia species, frequentissimus ille & usu quotidianus Emptionis & Venditionis contractus, juxta subjectorum seriem, disponitur:

1 2
Octava decima tibi vendo, diem adji-
ciendo.

3 4 5
Committens. hæres vendit. rescindo. pe-
6
riclum.

7
His exportandos *debes adjungere* servos.

Tit. 1. De contrahenda emptione, &c. 2. De in diem addictione. 3. De lege commissoria. 4. De hæreditate, vel actione vendita. 5. De rescindenda venditione, &c. 6. De periculo, & commodo rei venditæ. 7. De servis exportandis.

IN LIBR. XIX.

Actiones empti & venditi, ex prædicto contractu descendentes, hic liber primum. Deinde, quartam speciem locationem & con-

condictionem. Tertiò, contractibus explicatis nominatis, innominatos: veluti, cum res æstimata vendenda datur; cum species ad speciem permutatur, continet. Postremò varios contractus innominatos, ex quibus speciales vel generales in factum, & præscriptis verbis oriuntur actiones, declarat methodo tali.

1 Emptum *post decimam nona* 2 locat. 3 æstimat *actor*

4 Res permutatas. 5 præscriptis *addito* Verbis.

Tit. 1. De actionibus empti & venditi. 2. Locati, conducti. 3. De æstimatoria. 4. De rerum permutatione. 5. De præscriptis verbis; &c.

PARS IV.

Octo suscipiens libros, totius compositionis ὄμφαλος *seu umbilicus existit. Vnde, ut inter tres præcedentes, & tres sequentes medius est: sic ea quoque quæ mediæ sunt cognitionis, continet. Primi tres libri, & ad judicia, & ad res creditas, referuntur. Tres sequentes, nuptias, ex quibus consanguinitates & affinitates descendunt, quarumque intuitu, hæreditatum per gradus fit delatio, præponunt. Duo reliqui tutorum & curatorum potestatem explanant, Hæc*

partim

partim est privata, ut parentum & dominorum, partim publica, sicut alia munera, de quibus infra.

IN LIBR. XX,

Hic liber singularis, ad formulam hypothecariam, in sex partitus est titulos, hoc stylo ligatos:

1
Pignora *pars vicena tibi dabit ac* hypothecas.
2 3
Post pignus tacitum. *sunt* quæ res, qui
4
potiores.
5 6
Distrahitur pignus, *tandem quoque* solvitur *illud.*

Tit. 1. De pignoribus, & hypothecis, &c. 2. In quibus causis pignus, vel hypotheca tacitè contrahitur. 3. Quæ res pignori, vel hypothecæ datæ, obligari non possunt. 4. Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur, &c. 5. De distractione pignorum, &c. 6. Quibus modis pignus vel hypotheca solvitur.

IN LIBR. XXI.

Cùm vitia rerum creditarum, præcipuè emptarum, arguuntur, de ædilitio edicto, red-

redhibitoria actione, & quantò minoris, Item contra venditorem de evictione, quando tertius aliquis, rem emptam ab emptore per judicem recuperat, evincitque, agitur. At venditori evincere volenti exceptio rei venditæ & traditæ opponitur.

1
Edictum ædilis *tractat vicesima prima.*

2 3
Evincam. Si res, quæ venditur, excipiatur.

Tit. 1. De ædilitio edicto, & redhibitione, & quanti minoris. 2. De evictionibus, &c. 3. De exceptione rei venditæ & traditæ.

IN LIBR. XXII.

Liber hic hucusque propterea asservatus, siquidem utrique parti præcedenti communis est, ubi frequens est quæstio de accessionibus, veluti de usuris & fructibus & causis.

1 2 3
Usuras, fœnusque, probat, *vicena secunda.*

4 5 6
Instruit, & testes *simul* ignorantia duplex.

Tit. 1. De usuris, &c. 2. De nautico fœnore, 3. De probationibus, &c. 4. De fide instrumentorum, &c. 5. De testibus, 6. De juris & facti ignorantia.

IN LIBR. XXIII.

Liber hic primus eſt hujus tomi partis ſecundæ, quæ à Juſtiniano, *Volumen tripartitum de dotibus*, appellata, ſequentibus compoſitis rubricis. Et quia dos non eſt ſine matrimonio ejuſque causâ dotes conſtituuntur, hinc de eo ſubiicitur, & negotiis ad illud pertinentibus.

De ſponſalibus[1] & ritu[2] *docet ante ſuprema.*

Jus[3], pactum[4], fundus[5] dotalis *jungitur iſtis.*

Tit. 1. De ſponſalibus, 2. De ritu nuptiarum, 3. De jure dotium, 4. De pactis dotalibus. 5. De fundo dotali.

IN LIBR. XXIV.

Alter hic eſt, qui & ultimus Digeſti veteris, quod ſequens innuit carmen.

Vltima conjugibus[1] donat, divortia[2] *tangens.*

Quando conjugio dos eſt repetenda[3] ſoluto.

Tit. 1. De donationibus inter virum & uxorem, 2. De divortiis, & repudiis, 3. Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.

IN LIBR. XXV.

Tertius, qui initium eſt Digeſti infortiati, tractat de retentionibus ſeu reputationibus, quæ dotis repetitioni apponi ſolent. Quò referuntur impenſæ in res dotales factæ, res amotæ, liberi; & his concluſus eſt Titulis:

1 2
Impenſas dotis, res amotas, *dabo primæ.*
3 4
Agnoſco, ventrem, ventris *quoque* nomine
5
mitto.
6
Nomine ſi ventris mulier, de con-
7
cubitu *fit.*

Tit. 1. De impenſis in res dotales factis, 2. De actione rerum amotarum, 3. De agnoſcendis, & alendis liberis, &c. 4. De inſpiciendo ventre, &c. 5. Si ventris nomine mulier in poſſeſſione, calumniæ cauſa, eſſe dicatur, 7. De concubinis.

IN LIBR. XXVI.

Partis eſt tertiæ exordium, geminum volumen de Titulis & curationibus complectens. Cum ſuperiùs de matrimoniis ſit dictum, ex quibus ſoboles procreata plerum-

que parentibus orbata relinquitur, rectissimè hic locus postulat, ut eisdem tutores & curatores constituantur. Spectat autem tutelæ vel curationis gestio ad quasi contractus, de quibus rectè sequitur post judicia, quæ ex contractibus dantur.

1 2
Dat *tibi* tutelas, *etiam* testando *secunda.*

3 4 5
De confirmanda, de legitimis, dare possunt.

6
Tutores *videas hic*, qui petat, *atque* mi-

7
nistret.

8 9 10
Author, & ex facto, de suspectis *sociabant.*

Tit. De tutelis, 2. De testamentaria tutela, 3. De confirmando tutore, vel curatore, 4. De legitimis tutoribus, 5. De tutoribus & curatoribus datis ab his, qui jus dandi habent, & qui, & in quibus causis specialiter dari possunt, 6. Qui petant tutores, &c. 7. De administratione & periculo tutorum, &c. 8. De authoritate, & consensu tutorum & curatorum, 9. Quando ex facto tutoris, &c. 10. De suspectis tutoribus, &c.

IN LIBR. XXVII.

Constare hunc totidem, quot præcedens, Titulis, ex suppositis liquet. Qui ferè, exceptis duobus prioribus, ad actiones pupillares pertinent.

1 2 3
Excusat *pars terna*, *hinc* educat, *&* rationes.

4 5 6 7
Utile, pro tutore gerit, falsus *quoque* mandat.

8 9
Atque magistratus tenet, *&* de rebus eorum.

10
Iura dari *suadent* curatorem furioso.

Tit. 1. De excusationibus, 2. Ubi pupillus educari, &c. 3. De tutelis & rationibus distrahendis, &c. 4. De contraria tutelæ, & utili actione, 5. De eo, qui pro tutore, prove curatore negotia gessit, 6. Quod falso tutore, negotia gestum esse dic. &c. 7. De fidejussoribus, mandatoribus, &c. 8. De magistratibus conveniendis, 9. De rebus eorum, qui sub tutela, vel cura sunt, &c. 10. De curatoribus furioso, & aliis extra minores dandis.

PARS V.

Expeditis viventium actibus, actuum morientium congruè in novem libris, in tres compositiones divisis, fit disquisitio. Nam tota hæc quinta pars pertinet ad succeßionem ex testamento.

IN LIB. XXVIII.

PRima pars est duobus circumscripta libris. Prior, de paganorum testamentis, eorumque solemnitatibus; in octo infrà collocatos fractus titulos tractat.

1 2 3
Quarta testatur. *sed* posthumus irrita

4
delet.

5 6
Hæredes statuo, vulgares substituendo.

7
Conditio instituit: *post* & *sunt* libera

8
jura.

Tit. 1. Qui testamenta facere possunt, &c. 2. De liberis & posthumis, &c. 3. De injusto, rupto & irrito facto testamento. 4. De his quæ in testamento delentur, &c. 5. De hæredibus instituendis, 6. De vulgari & pupillari substitutione, 7. De conditionibus institutionum, 8. De jure deliberandi.

IN

IN LIB. XXIX.

Posterior, de testamentis militum: Deinde de utriusque speciei effectibus. In calce, de codicillis agens, septem continetur rubricis:

1 2
Miles testator, *in quinta* acquirit & hæres.

3 4
Dein apperire *docet* : quis omittens Syl-
5
lanianum.

6 7
Si quis testari prohibet: jus codicis *addat*.

Tit. 1. De testamento militis 2. De adqurenda, vel omittenda hereditate, 3. Testamenta quemadmodum aperiantur, &c. 4. Si quis omissa causa testamenti, ab intestato vel alio modo possideat hæred. &c. 5. De Senatus-consulto Syllaniano, &c. 6. Si quis aliquem testari prohibuerit, &c. 7. De jure codicillorum.

Pars secunda, de legatis & fideicommißis, quorum succeßio singularis, (de universali suprà) tractat, ac in quinque distributa libros. Tres priores in genere de legatis loqui incipiunt.

IN LIB. XXX.

Hic autem, ut plurimum, de rebus, quæ relinquuntur, diſponit; & nominatur communiter in allegatione de legatis primo, ſecundum verſum:

Sextus dat primo legata *notanda* libello.

Tit. unic. de legatis & fideicommiſſis, 1.

IN LIB. XXXI.

Prout hic, de perſonis; tam teſtatorum, quam legatariorum, paſſim agit.

Septimus inde liber tractat legata ſecundo.

Tit. unic. de legatis, & fideicommiſſis, 2.

IN LIB. XXXII.

De idonea rerum & verborum deſignatione, ſub qua relinquuntur, hic loquitur.

Ter *quoque* legata *notat octavus liber ipſa.*

Tit. unic. de legatis & fideicommiſſis. 3.

IN LIB. XXXIII.

Hoc & ſequenti libro agitur de certis legatis, in quibus ſpecialia & propria quædam obti-

obtinent: ut præſens liber, quomodo res incorporeæ legentur, in ſpecie magis explicat per ſubjectos Titulos.

1 2
Annua *nona tenet* uſumfructum *quoque* legat.
3 4 5
Servitium. dos *hîc* legantur, & optio,
6
vinum.
7 8
Inſtructus fundus. *ſunt* & legata peculi.
9
Additur his legata *rubris* penus, *atque*
10
ſupellex.

Tit. 1. De annuis legatis. &c. 2. De uſu & uſufructu: &c. 3. De ſervitute legata. 4. De dote prælegata 5. De optione vel electione legata, 6. De tritico, vino, vel oleo legato. 7. De inſtructo fundo, vel inſtrumento legato. 8. De peculio legato. 9. De penu legata. 10. De ſupellectile legata.

IN LIBR. XXXIV.

Hoc libro uſque ad Tit. quintum pergit docere quid certis rerum legatarum nominibus contineatur; & quomodo legata relinquantur; ac deinceps qualiter amittantur.

1
Ac decima legas *parte* alimenta, *vel*
2
aurum.
3 4 5 6
Liberat, *at* adimit. dubiis. quæ nomine
pœnæ.
7 8
Norma Catonis *habet* pro non ſcriptis,
9
quibus auſert.

Tit. 1. De alimentis, vel cibariis legatis. 2. De auro, argento, mundo, &c. 3. De liberatione legata 4. De adimendis, vel transferendis legatis, &c. 5. De rebus dubiis, 6. De his, quæ pœnæ cauſa relinquantur. 7. De regula Catoniana. 8. De his quæ pro non ſcriptis habentur 9. De his, quæ ut indignis auferuntur.

IN LIB. XXXV.

Initium eſt partis tertiæ, qua de legatorum & fideicommiſſorum docemur acceſſoriis; & quidem hoc libro agit, de conditionibus legatorum, deque demonſtrationibus cauſis & modis.

1
Conditio *undecimâ monſtratur*. lex *quaque*
2
falcans.

3

Si cui plus fuerit legatum quam licitum sit.

Tit. 1. De conditionibus, & demonstrationibus, &c. 2. Ad legem Falcidiam. 3. Si cui plus quam per legem Falcidiam licuerit, legatum esse dicetur.

IN LIB. XXXVI.

Sicut legatis modum fecit lex Falcidia, ita fideicommissis Senatusc. Trebellianum & Pegasianum: cæteris Titulis agitur conjunctim de legatis.

1 2

Est Trebellius, *atque* dies cedit *duodenâ*.

3 4

Ut pro legatis caveat, legataque servet.

Tit. 1. Ad Senatusconsultum Trebellianum, 2. Quando dies legatorum, vel fideicommissorum cedat, 3. Ut legatorum, seu fideicommissorum servandorum causa caveatur, 4. Ut in possessione legatorum, vel fideicommissorum servandorum causa esse liceat.

PARS VI.

Atque ita quidem jure civili ex ultimis voluntatibus successiones debentur & petuntur. Cæterum jure prætorio eædem dantur ac petuntur, petitis ac datis bonorum possessionibus. De quibus deinceps.

IN LIB. XXXVII.

Bonorum autem poſſeſſiones, ex variis conceduntur cauſis, tum ex teſtamento, tum etiam ab inteſtato. Quod quindecim hiſce ſignificatur rubricis.

1

Tertia poſt decimam eſt poſſeſſio *parte bonorum.*

2

Si tabulæ extabunt. mutus bona poſſidet

3

inſans.

4

Præteritis contra tabulas poſſeſſio *cedit.*

5 6 7

Legatus præſtans, bona, dotem confero

8

ventri.

9 10

De conjungendis. edictum Carbo *notavit.*

11

Vult bona poſſeſſor tabulas *retinere* ſecundùm.

12 13

Quandò parens laxat, ex milite. jura

14

patroni.

Obſequium nati debent præſtare pa-

15

renti.

Tit.

Tit. 1. De bonorum possessionibus 2. Si tabulæ testamenti extabunt. 3. De bonorum possessione, furioso; infanti, &c. 4. De bonorum possessione contra tabulas, 5. De legatis præstandis, &c. 6. De collatione bonorum. 7. De dotis collatione. 8. De ventre in possessionem mittendo, &c. (*Nota titulorum transpositionem*) 9. De conjungendis cum emancipato liberis ejus. 10. De Carboniano edicto. 11. De bonorum possessionibus secundùm tabulas. 12. Si à parente quis manumissus sit. 13. De bonorum possessione ex testamento militis. 14. De jure patronatus. 15. De obsequiis parentibus & patronis præstandis.

IN LIB. XXXVIII.

Materiam in præcedenti, assumptam continuando, titulis hisce concluditur septendecim.

1 2
Libertorum *sunt* operæ. & bona *parte suprema.*

3 4 5
Urbi, libertos assignas, fraude patroni.
Si nullæ extabunt tabulæ, *datur* unde-
6
que liber.
7 8 9
Legitimus, cognatus, *adhuc* succedo, gra-
10
dusque.

11 12 13
Unde vir atque uxor, miles, non competit omni.
14 15 16
Lex dat, & ordo, suis *addatur* Ter-
17
tullianum.

Tit. 1. De operis libertorum. 2. De bonis libertorum. 3. De libertis universitatum. 4. De assignandis libertis. 5. Si quid in fraudem patroni factum sit. 6. Si tabulæ testamenti nullæ extabunt, undè liberi 7. Unde legitimi. 8. Unde cognati. 9. De successorio edicto. 10. De gradibus, &c. 11. Unde vir & uxor. 12. De veteranorum & militum successione. 13. Quibus non competit bonorum possessio. 14. Ut ex legibus, Senatusve consultis possessio detur. 15. Quis ordo in possessionibus servetur. 16. De suis, & legitimis hæredibus. 17. Ad Senatus-consultum Tertullianum, &c.

IN LIB. XXXIX.

Hic vulgò statuitur exordium Digesti Novi, & proponuntur partim, ea remedia seu cautiones Prætoris quibus futuris rerum damnis (De præteritis, suprà libro nono,) prævisum fuit; partim donationum simplicium & mortis causâ liberalitatibus deputatus.

1 2
Prima novum *dat* ópus *pars* infectum damnum.

3
Hinc arcetur aqua pluvialis. de Pu-
4
blicanis.

5 6
Donatis causâ mortis donatio *subsit.*

Tit. 1. De operis novi nuntiatione. 2. De damno infecto, &c. 3. De aqua, & aquæ pluviæ arcendæ. 3. De publicanis, &c. 5. De donationibus. 6. De mortis causâ donationibus & capionibus.

IN LIB. XL.

Hactenus donationes. Sequuntur libertates, quæ communiter etiam inter vivos, & in ultimis voluntatibus relinquuntur servis. Partes duæ. Prior ad libertatis acquisitionem, qua de judicia liberalia multifariam existunt. Altera ad causas liberales, quibus, vel conservatur, vel amittitur, pertinet.

1 2
Parte, manumissi *sunt* & vindicta, *secunda.*

3 4
Urbica mancipia. per testamenta relaxas.

Lege-

5
Legeque commiſſas libertates, & ad-
6
emptas.
7 8 9
Inde ſtatu liber. veniens, non liberat,
10
aurum.
11 12 13
Natali. cauſa. non proclamare licebit.
14 15 16
Ingenuus defunctus *erit.* colluſio tecta.

Tit. 1. De manumiſſionibus. 2. De manumiſſis vindicta. 3. De manumiſſionibus, quæ ſervis ad univerſitatem pertinentibus imponuntur. 4. De manumiſſis teſtamento. 5. De fideicommiſſariis libertatibus. 6. De ademptione libertatis. 7. De ſtatu liberis. 8. Qui ſine manumiſſione ad libertatem perveniunt. 9. Qui & à quibus manumiſſi liberi non fiunt, &c. 10. De jure aureorum annulorum. 11. De natalibus reſtituendis. 12. De liberali cauſa. 13. Quibus ad libertatem proclamare non licebit. 14. Si ingenuus eſſe dicetur. 15. Ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur. 16. De colluſione detegenda.

IN LIBR. XLI.

Poſt univerſales acquirendi modos, hic ſingulares, tam naturales, quàm civiles; tam

tam dominii, quàm possessionis, decem titulis congestis continentur.

1 2
Tertia pars querit, possessa, usuca-
3
pienda.
4 5 6
Solvit emens. hæres *tribuit.* donata.
7
relicta.
8 9 10
His pro legato. pro dote. suo, *super addas.*

Tit. 1. De adquirendo rerum dominio. 2. De adquirenda, vel amittenda possessione. 3. De usurpationibus & usucapionibus. 4. Pro emptore. 5. Pro hærede, vel pro possessore. 6. pro donato. 7. pro derelicto. 8. pro legato. 9. pro dote. 10. pro suo.

IN LIB. XLII.

Cùm per sententiam, secutâ missione & traditione, acquiratur quoque dominium, §. *fin. Inst. De officio judic.* optimo jure Res judicatæ, earumque executiones (vel, quod perinde est, debitoris confessio, bonorum cessio.) proximè præcedenti conjunguntur.

1 2 3
Judicat *& quarta*, confessus, cedit,
4
eatur.

5 6
Judex eſt auctor, *cum* privilegia credit.
7 8 9
Separo, curator, in fraudem facta reſolvo.

Tit. 1: De re judicata, &c. 2. De confeſſis. 3. De ceſſione bonorum. 4. Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur, 5. De rebus authoritate judicis poſſidendis, &c. 6. De privilegiis creditorum. 7. De ſeparationibus. 8. De curatore bonis dando. 9. Quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituantur.

IN LIB. XLIII.

Superiùs de plena proprietatis cognitione: modò de poſſeſſionis ſummaria diſſerit: Et poſt actionum genera, interdicta, ad dominia & hominum negotia pertinentia, triginta tribus conglomerata rubricis complectitur.

1 2 3
Interdicta, bona, legataque *quinta notabit.*
4 5 6
Ne vis. de tabulis. ſacer & loca pu-
8
blicus, *hic ſunt.*
9 10 11 12
Poſt fruitur, reficit de fluminibus prior
13
æſtas.

14 15 16 17
Navigat. & ripa, de vi, sic possideatis.
18 19
Estque superficies. iter actus quoti-
20
diana.
21 22 23
Istis, de rivis, *addas*, de fonte cloacis.
24 25 26
Quod vi, clamve. remitto. precaria, cæ-
27
ditur arbor.
28 29 30
Glans. & liber homo salus exhibeatur.
31
utrubi.
32
Cum de migrando. *jungatur,*
33
Salvia dictum.

Tit. 1. De interdictis, &c. 2. Quorum bonorum. 3. Quod legatorum. 4. Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit. 5. De tabulis exhibendis. 6. Ne quid in loco sacro fiat. 7. De locis, & itineribus publicis. 8. Ne quid in loco publico, vel itinere fiat. 9. De loco publico fruendo. 10. De via publica & si quid in ea factum esse dicatur. 11. De via publica, & itinere publico reficiendo. 12. De fluminibus, &c. 13. Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter

aliter aqua fluat, atque uti priore æstate fluxit. 14. Ut in flumine publico navigare liceat. 15. De ripa munienda. 16. De vi, & de vi armatâ. 17. Uti possidetis. 18. De superficiebus. 19. De itinere, actuque privato. 20. De aqua quotidiana & æstiva. 21. De rivis. 22. De fonte. 23. De cloacis. 24. Quod vi, aut clam. 25. De remissionibus. 26. De precario. 27. De arboribus cædendis. 28. De glande legenda. 29. De homine libero exhibendo. 30. De liberis exhibendis, &c. 31. De utrubi. 32. De migrando. 33. De Salviano interdicto.

IN LIB. XLIV.

Hæc de actionibus, & interdictis: Exceptiones, quæ veluti reorum actiones, judicum quoque cognitionem requirunt, *l.* 1. *ff. De except.* succedunt. Titulus finalis, tam præcedentium, quam sequentium, communia & generalia, ad specierum cognitionem & facilem explicationem, necessaria, exponit.

Excipio [1] *sexta* res judicio. [2] tempora [3] scribens.

Sunt dolus. [4] *&* jurans. [5] lites. [6] *ac* actio [7] juncta.

Tit. 1. De exceptionibus, præscriptionibus & præjudiciis. 2. De exceptione rei judi-

judicatæ. 3. De diversis temporalibus præscriptionibus, &c. 4. De doli mali, & metus exceptione. 5. Quarum rerum actio non datur. 6. De litigiosis. 7. De obligationibus, & actionibus.

PARS VII.

Ea, quæ prius inchoata sunt omnia, sex formatis libris, perficit.

IN LIBR. XLV.

UNdè hic, examinatis juris gentium obligationibus, stipulationes, jure civili, ad eas confirmandas, introductæ, tractantur.

1 2 3
Septima, verba. duo. *tradit* servo stipulanti.

Tit. 1. De verborum obligationibus. 2. De duobus reis constituendis. 3. De stipulatione servorum.

IN LIBR. XLVI.

Modi varii, quibus obligatio quævis creatur, explicantur. Hos prætoriæ sequuntur stipulationes, Tituli tales:

1 2
Parte fidejussor *patet octava*, novo,
3
solvo.

Ac-

4 5 6 7 8
Acceptat. prætor. salvam. solvi. ratam haberi.

Tit. 1. De fidejussoribus, & mandatoribus. 2. De novationibus & delegationibus. 3. De solutionibus. 4. De acceptationibus. 5. De stipulationibus prætoriis. 6. Rem pupilli, vel adolescentis salvam fore. 7. Judicatum solvi. 8. Ratam rem haberi, & de ratihabitione.

Hactenus de obligationibus ex contractu. Duobus succedentibus (terribiles dicti, quod omnem severitatem, pœnarumque atrocitatem continent. §. 8. const. de consir. ff. ad Senat.) *de iis quæ ex delictis nascuntur agitur.*

IN LIBR. XLVII,

Delicta verò, aut sunt privata, qui ad privatorum injuriam, & vindictam pertinent, de quibus hic:

1 2 3
Delictum. furtum. tignum. *pars nona tenebit.*

4 5 6
Liber erit. caupo, si furta familia fecit.

7 8 9
Furtim cæsa. bona & rapti. *tum* incendo.

10
libellos.

Crimi-

11 12 13
Criminibus. violant. & concutiunt. &
14
abactor.

15 16 17
Dum prævaricor. *atque*; recepto. bal-
18
nea. frangis.

19 20
Expilat hæres. *quos* crimine ſtellio *fallit.*
21 22 23
Terminus. illicita collegia. *dat* popularis.

Tit. 1. De privatis delictis. 2. De furtis. 3. De tigno juncto. 4. Si is, qui teſtamento liber eſſe juſſus erit, &c. 5. Furti adverſus nautas, caupones, ſtabularios. 6. Si familia furtum feciſſe dicetur. 7. Arborum furtim cæſarum. 8. De vi bonorum raptorum, &c. 9. De incendio, ruina, naufragio, &c. 10. De injuriis, & famoſis libellis. 11. De extraordinariis criminibus. 12. De ſepulchro violato. 13. De concuſſionibus. 14. De abigeis. 15. De prævaricatione. 16. De receptatoribus. 17. De furibus, balneariis. 18. De effractoribus, & expilatoribus. 19. Expilatæ hæreditatis. 20. Stellionatus. 21. De termino moto. 22. De collegiis & corporibus. 23. De popularibus actionibus.

Aut publica, quæ ob id, quod ad Reip. exemplum & vindictam pertineant: publica quæstione inquiruntur & cognoscuntur.

1
Publica judicia, *decima sunt parte nota.*

2 3 4
Accusans. custos. *&* majestatis amator.

5 6 7
Punit adulterium. Vis publica. privaque

8
sica.

9 10 11
Pompea de falsis, lex Julia de repetundis.

12 13
Curior ac annona *fuit*. si sacra peculor.

14 15 16
Ambitus *admittit*. plagiaria. Turpilianum.

17 18
Sæpe requiro reos. *quos* quæstio. pœ-

19
naque *mulctant*.

20 21 22
Damnabo. mortem deportatis. *dabo*

23
passos.

24
His punitorum *conjungo* cadavera *tandem*.

Tit. 1. De publicis judiciis. 2. De accusatio-

ſationibus, &c. 3. De cuſtodia. &c. 4. Ad legem Juliam Majeſtatis. 5. Ad legem Juliam de adulteriis coërcendis. 6. Ad legem Juliam de vi publica. 7. Ad legem Juliam de vi privata. 8. Ad legem Corneliam de ſicariis, &c. 9. Ad legem Pompejam de parricidiis. 10. Ad legem Corneliam de falſis, &c. 11. Ad legem Juliam repetundarum. 12. Ad legem Juliam de annona. 13. Ad legem Juliam peculatus, & de ſacrilegiis, &c. 14. De lege Julia ambitus. 15. De lege Fabia, de plagiariis. 16, Ad Senatus-conſultum Turpillianum, &c. 17. De requirendis, &c. 18. De quæſtionibus. 19. De pœnis. 20. De bonis damnatorum. 21. De bonis eorum, qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt, &c. 22. De interdictis, & relegatis, & deportatis. 23. De ſententiam paſſis & reſtitutis. 24. De cadaveribus punitorum.

IN LIBR. XLIX,

Et hæc quidem de civilibus & criminalibus primæ inſtantiæ judiciis: Quibus ne quis injuria obruatur, inventum eſt appellationis contra ſententias beneficium. Unde elegantiſſimus appellationum tractatus ſuum hic capit initium. Poſt illum jus Fiſci explicatur. Quatuor ultimis, quæ de re militari reliqua ſunt, traduntur.

Unde-

1 2
Vndecima appellat. quod non licet. & quis
3
& à quo.
4 5 6
Quando. ſuſcipiam. dimittam. nilque
7
novabo.
8 9 10 11
Reſcindit. cauſas. tutor. provincia,
12
cogit.
13 14
Mors interveniat. de fiſci jure re-
15
verſis.
16 17
Militat. in caſtris quærit bona de Ve-
18
teranis.

Tit. 2. De appellationibus & relationibus. 2. A quibus appellare non licet. 3. Quis à quo appelletur. 4. Quando appellandum ſit, & intra quæ tempora. 5. De appellationibus recipiendis, vel non. 6. De libellis dimiſſoriis, qui Apoſtoli dicuntur. 7. Nihil novari appellatione interpoſita. 8. Quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur. 9. An per alium cauſæ appellationum reddi poſſunt. 10. Si tutor, vel curator, vel magiſtratus creatus appellaverit.

11. Eum,

11. Eum, qui appellaverit, in provincia defendi. 12. Apud eum, à quo appellatur, aliam causam agere compellendum. 13. Si pendente appellatione mors intervenerit. 14. De jure fisci. 15. De captivis, & de postliminio reversis, & redemptis ab hostibus. 16. De re militari. 17. De castrensi peculio. 18. De veteranorum privilegiis.

IN LIBR. L.

Hucusque de jure privato & publico propriè dicto, tam fiscali, quam militari, actum. Hic ultimus, res municipales, ad titulum usque duodecimum, disponit. Sequentibus indè, extraordinariæ cognitiones perficiuntur. Postremò, toto opere consummato, duo tituli generales, (erudito epilogo,) ad totum jus expositum spectantes, attexuntur, & Pandectas claudunt.

1 Municipales. *estque* 2 decurio, *parte suprema*.

3 Albis. 4 muneribus. 5 vaco. 6 jus immune *tenendo*.

7 Legatus. 8 civis. 9 decernit. 10 opus populare.

11 Nundina. 12 pollicita. varias *dat* 13 cognitiones.

14 15
Sunt Proxinetæ *cauti*. de censibus *aucti*.
16 17
Significata *subit* verborum. regula juris.

Tit. 1. Ad municipalem, & de incolis. 2. De Decurionibus, & filiis eorum. 3. De albo scribendo. 4. De muneribus & honoribus. 5. De vocatione, & excusatione munerum. 6. De jure immunitatis. 7. De legationibus. 8. De administratione rerum ad civitatem pertinentium. 9. De decretis ab ordine faciendis. De operibus publicis. 11. De nundinis, 12. De pollicitationibus. 13. De variis, & extraordinariis cognitionibus, & si judex litem suam fecisse dicetur. 14. De proxenetis. 15. De censibus. 16. De verborum significatione. 17. De regulis juris.

FINIS.

CODI-

CODICIS JUSTINIANI
RUBRICÆ
FERME OMNES,

Novem subjectis versibus comprehenduntur.

PRIMI LIBRI RUBRICÆ.

Pars prior *officia*, *leges* & *sacra* docebit.



Fficia, ¶ Tit. 26. De Officio præfecti orientis. 27. Officio præfect. præt. Afric. 28. Offic. præfect. urbi. 29. Offic. mag. mil. 30. Offic. quæstoris. 31. Offic. mag. Officiorum. 32. Offic. Comit. sacrar. largit. 33. Offic. Comit. rer. privatarum. 34. Offic. Comit. sacri palatii. 35. Offic. proconf. & leg. & Offic. Com. sac. patr. 36. Offic. Com. Orient. 37. Offic. præfect. August. 38. Offic. Vicarii, 39. Offic. prætor. 40. Off. Præs. prov. 43. Off. præfect. vigil. 45. Offic. civilium Jud. 46. Offi. milit. Jud. 48. Offic. divers. Jud. 50. Offic. ejus qui vicem alicujus Jud. vel præsi. obtinet, 57. Offic. Jurid. Alexand.

Leges, ¶ Tit. 14. De legibus & Constitutionibus Princip. 15. Mandat. princ. 16. Senatusconsult. 17. Veter. jure enclc. 18. Juris & facti ignor. &c. Novo Cod. compo. Just. Cod. confirm. Emend. Inst. *in principio.*

Sacra, ¶ Tit. 1 De summa trinit. & fid. Cath. 2. Sacrosanct. Eccles. 3. Episcopis & Clericis 4. Episc. audient. 6. Ne sanc. bap. ite. *His jungantur illi qui faciunt contra sacra: Vt est titulus.* 16, De Hæreticis, 7. Apostat. 8. Nemini sig. Sal. 9. Judæis cœlicolis. 10. Ne Christianum Mancip. 11. Paga. & sacrif. 12. His qui ad eccles. confug, *Si quos titulos & hic & in sequentibus omiserimus, illos pro arbitrio suo, sub quo volet verbo, quilibet collocabit.*

II. LIB. RUBRICÆ.

Transigo, *restituo*, *gero*, *postulo* parte secunda.

T*Ransigo*, ¶ Tit. 4. De Transactio. 3. Pactis. *Et quia talia fiunt quandoque mediantibus arbitris: ideo* Tit. 56. De receptis arb. 59. De Jurejur. propt. Calum.

Restituo. ¶ Tit. 22. De in Integrum restit. 23. filiofam. minor. 24. fidejuss. minor. 25. Si tutor vel Curator inter. 26 Si in com. ead. caus. in integ. restit. postul. 27. Si adver-

adversus rem Judic. 2 Si adversus vendit. 30. Si advers. donat. 31. Si adversus libert. 32. Si adversus Transact. 33. Si adversus solut. 34. Si adversus dotem, 35. Si adversus delictum, 36. Si adversus usucap. 37. Si adversus fiscum, 38, Si adversus credit. 39. Si minor ab hereditate se abstin. 40. Si ut omis. hered. 41. In quibus causis restit. 62. Qui & adversus quos. 43. Si minor se maj. dix. 44. Si sæpius in integ. restit. 45. His qui veniam ætat. impet. 46. Si major fact. 47. Ubi & apud quem in integ. restit. agend. sit, 48. Reputation. quæ fiunt. 49. Etiam per procuratorem caus. in integr. rest. 50. In integ. restit. postul. 51. Restit. mili. 52. Uxor milit. 13. Tempor. in integ. restit. 54. Quibus ex causis major.

Gero ¶ Tit. 19. De negotiis gestis. 13. Procurat. 20. His quæ vi metusve caus. gesta sunt. 21. Dolo. 1. Edendo. 2. In jus vocando.

Postulo ¶ Tit. 6. De Postulando. 7. Advocat. Divers. Judicior. 8. Advoc. divers. Judicum. 9. Advoc. fisci. 10. Errore Advocat. 11. ut quæ desunt Advocatis part. *Et quia postulare non possunt qui infames sunt, ideo tit.* 12. Ex quibus caus. Infam irrog.

III. LIB. RUBRICÆ.

Tertia *Ius dicens, quæritur, servit, petit, occat.*

IVs *dicens* ¶ Tit. 1. De Judiciis, 2. Sportul. & sumpt. in diver. jud. fac. 3. Pedan. Iudic. 4. Qui pro suo jurisd. jud. dare. 5. Ne quis in sua caus. jud. 6. Qui legit. pers. standi. in Iud. hab. 7. Ut nemo invitus agere. 8. Ordine Iudiciorum. 9. Litis contest. 10. Plus petit. 11. Dilationibus. 12. Feriis 13. Iurisdict. om. Iudic. 14. Quando Imper. inter pupil. 15. Ubi de crim. agi. oport. 16. Ubi de poss. agi. op. 17. Ubi fideicom. peti opor. 18. Ubi conven. qui certo loc. 19. Ubi in rem actio. 20. Ubi de hered. agatur. 21. Ubi de ratiociniis. 22. Ubi causa stat. agi debeat. 23. Ubi quis de curial. 24. Ubi Senatores vel Clariss. 25. In quibus caus. mil. fori præscrip. uti non poss. 26. Ubi caus. fisc. 27. Quando liceat unicuique sine judice vindicare.

Queritur. ¶ id est, conqueritur, tit. 28. de Innoffic. testam. 29. Inoffic. donat. 30. Inoffic. dotibus.

Servit. ¶ tit. 34. De servitut. & aqua 33. Usufruct. & habitatione, & ministerio servorum. 35. de L. Aquilia.

Petit. ¶ tit. 31. De petit. hæredit. 32. Rei vindicatione.

Occat.

Occat. ¶ id eſt, dividit. tit. 36. Familiæ erciſcundæ, id eſt, hereditatis dividundæ, 37. Communi dividundo, 38. Communia utr. jud. 39. Finium regund. 40. Conſort. ejuſdem litis.

IV. LIB. RUBRICÆ.

Actio, *Contractus*, *teſtes* quartâ referantur.

ACtio. ¶ tit. 10. De obligat. & actionibus, 11. Ut actio ab hered. & contra hered. incip. 12. Ne uxor. pro marito. 13. Ne filius pro patre, 14. An ſervus ex ſuo facto. 15. Quando fiſcus vel privat. 16. Hered. action. 17. Ex delict. defunct. 18. Conſtit. pecunia, 19. Rebus creditis & Iurejurando, 2. Si cert. petat. 3. Suffrag. 4. Prohibit. ſequeſt. pecun. 5. Condict. indebit. 6. Condict. ob cauſam, 7. Condict. ob turp. cauſam. 8. Condict. furtiva 9. Condict. ex lege, 24. Pignor. act. 25. Inſtit. & exercit. 26. Quod cum eo, qui in aliena poteſt. 27. Per quas perſon. nobis acquir. 28. Ad Senatuſc. Macedon. 29. Ad Senatuscon. Vellejan. 30. Non numer. pec. 31. Compenſat. 39. Heredit. vel act. vend. 58. Ædilit. action.

Contractus. ¶ tit. 23. De Commodato, 32. Uſuris, 33. Nautico fœnor. 34. depoſiti. 35. Mandat. 36. Si ſervus extero ſe emi.

